



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 4. In eodem libro notata, & emendata nonnulla.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

In eodem libro notata, & emendata nonnulla.

## CAPVT IIII.

MODESTIÆ nomen tribus omnino locis apud Tacitum animaduerti longè aliter acceptum, quam vulgo solet. Nam cum *modestiam* ferè vocare soleamus affectionem animi de se modicè ac modestè sentientis, ipse contra interdum *modestiam* pro temeritate quadam, & infirmitate virium dicit. Eorum locorum vnus est hoc ipso in libro, ex quo pleraque tam emendauit: *Versa inde ad Tiberium preces: & ille variè differebat, de magnitudine imperij, sua modestia.* *modestiam* enim dicit modicas & exiguas vires suas, & nequaquam tanto oneri pares. Alter est libro tertio: *Simul modestia Neronis, & suæ magnitudini fidebat.* et si eo loco fortasse possit aliquis *modestiam*, animi moderationem interpretari. Sed mihi altera illa interpretatio verior videtur. Tertius est libro xii. *Quindecim dierum alimenta vrbi, non amplius, superfuisse conseruati: magnaq; deum benignitate, & modestia hiemis, reuera exiremis subuentum.* *Modestum* quoque pro modico aliquoties dixit. Quando autem semel Tacitum in manus sumpsi, non tam facile ab eo auellar: sed pauca quedam ex eodem illo primo Annalium libro, quomodo mihi legenda videantur, aperiam. Vbi igitur Asinij Galli sententia refertur, puto legendum hoc modo: *Addidit de laudibus Augusti: non, vt vulgo, Addidit laudem de Augusto.* & paulo post ita lego: *Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam ad ipsius principem locum sussepturi abnuerent, aut impares vellent: vel iudem possent, cuperentq;.* *M. Lepidum dixere capam, sed aspernantem: Gallum Asinium auidum, sed minorem.* Verba autem Haterij, quæ tam variè

T leguntur,

Micretti  
Lectio  
LII  
28

leguntur, ita puto legenda: *Quousque patieris deesse caput reipublicae?* Est autem vetus scribendi deesse, pro deesse.

Notatus vsus quidam verbi labor, aut dilabor.

## CAPVT V.

**C**um cœtus aliquis dissoluitur, seque, aut cœtum quisque aut quod vocant hegoria, aut hegoria que quod fert animus, alius aliud recipit, in eo legendum *dilabendi* verbum ponere Tacitus solet. Accipere potest, vt & apud antiquiores quoque eius vsus nonnullis exempla reperiantur; rariora tamen, vt opinor, mihi putavi minus vitio datum iri, si huic coeque nonnulla sub vno aspectu ponerem. Libro primo Annales ab excessu D. Augusti ita scriptum est: *Impellere paulatim nocturnis conloquiis, aut fieri vespere die, & dilapsis melioribus deterrimum quousque congregare.* Id est, cum meliores iam se ad curia corpora recepissent. Et libro secundo: *Neque copia pugna obsessores fecere, ad famam aduentus dilapsi.* Et libro XI. *Ceteris passim dilabentibus centuriones.* Et libro XII. *Vt anteirent populatores dilapsis improuisi circumfunderentur.* Et libro annalium ab excessu Neronis: *Donec fastidirent: & extremo iam die sua quisque in tentoria dilabatur.* Sed & æqualis Taciti Suetonius in Vitellio: *deserta omnia reperisset, dilabentibus & qui simul zona se aureorum plena circumdedit.* labi etiam pro eodem dixit Iuuenalis satyra sexta: *Labente officio donanda.* Labente enim officio, est, iis qui ad celebrandas nuptias officij causa conuenerant, discedentibus ac dilabentibus.